DE OLEI JECORIS ASELLI USU IN PULMONUM TUBERCULIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. FEBRUARII A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERTHOLDUS KUSCHEL

SILESIUS.

Opponentibus:

M. NITSCHKE, med. et chir. Dr.
A. RAVENSTEIN, med. et chir. Dr.
R. JESSEL, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
HUMANISSIMO

PREUSS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO APUD
GROTTKOVIENSES PRACTICO ET FORENSI,

NEC NON

PARENTIBUS OPTIMIS

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cum mihi ab illustribus viris, quorum auctoritate atque auspiciis sueta examina superavi, mandatum esset, ut majorum more ad doctoris gradum capescendum dissertationem conscriberem conscriptamque palam defenderem, diu valdeque de materia pertractanda mecum cogitavi. Quum vero exiguis tironis viribus hanc materiam adgredi ausus sim, peto abs Te, L. B. ne nimis gravis mihi

sis censor, sed juvenem me esse cogites, qui primum timide scribendi subierim periculum, qui ergo in rebus pertractandis, quae medici sunt experientia et doctrina satis adjuti, multimode haeream et valde peccem. Vale!

NONNULLA DE OLEI JECORIS ASELLI PARATIONE.

Hoc medicamen, quod tempore nostro maximam celebritatem sibi peperit, ex hepate plurium specierum Gadi (1), praecipue Gadi Morrhuae, G. Callariae, G. Carbonarii etc. paratur. Quatuor species sunt olei jecoris Aselli, quae, quod ad vim medicatricem attinet, inter se valde discrepant. Prima species solis calore effluit ex hepate in magnis vasis vitreis cylindraceis posito, partes enim fluidae adiposae sponte prodeuntes defluunt; hoc oleum est coloris aurei, similis vino Rhenano, pellucidum, peculiari adipis piscini odore praeditum. Secunda species ex hepate paratur, quod non amplius sua sponte oleum edit. Jecora in vasis idoneis calori 40°

(1) Linnée.

R. submittuntur, quo facto oleum effluit bruneum, spissum, minus pellucidum, colorem fere vini Malacensis praebens. Haec et prima olei j. A. species a medicis Suecicis, quorum in patria hoc medicamen uberrime paratur, praecipue in usum medicum vocantur, prima autem, cum exigua tantum copia conficiatur, a ditissimis modo hominibus adhiberi potest. Ad tertiam speciem parandam, jecora dissecta in cortinis igni fortiori submittuntur, et assando et coquendo extrahitur oleum coloris fusci, odoris piscini et empyreumatici. Haec species nunquam a medicis praescribitur, maximae autem ejus portiones a mercatoribus per totam mittuntur Europam. Species quarta, quae via chemica acquiritur plerumque ex tertia, est coloris pellucidioris, oleo olivarum similis, piscini odoris, non tam fragrantis. In nostris officinis oleum jecoris Aselli depuratum nominatur haec species et plerumque a medicis in usum vocatur, quamquam Suecici medici efficaciam ei derogant.

Haec divisio, sive modus, olei j. A. quatuor species parandi, in Suecia tantum est usitata; nostris autem in officinis duae species existunt hujus olei: oleum fuscum et oleum flavum,

quae in efficaciae ratione inter se non discrepant.

I. PARS CHEMICA.

Primus, qui olei jecoris Aselli naturam chemicam investigavit, est Wurzer, cujus perscrutationum summa haec est: oleum in spiritu vini et aethere est solubile et cum aqua agitatum huic colorem tribuit straminеum. Aqua evaporata extractum remanet spissum, flavum, quod aqua et spiritu vini facile solvitur. Accuratior est investigatio Sparmanni (1), qui in olei centum partibus invenit:

Stearini	19,0
Elaini	76,5
Materiae tinctoriae aurantiacae et principii aromatici	4,5
	100,0

Marder (2) etiam oleum, de quo disserimus, perscrutationi submisit et invenit, quae sequuntur: solubile est oleum in aethere et spiritu vini, aquae destillatae cum illo conquassatae colorem caliginosum tribuit, chartam explorato-

(1) Dissertatio de oleo j. a. Rostochii 1827.

(2) Hufelands u. Osann's Journal. Bd. 70. St. 3. pag. 85.

riam rubefacit, etc. Sed ne omnes illos viros hoc in opusculo nominem, qui olei jecoris Aselli naturam chemicam examinaverunt; sequentium tantum mentionem facere liceat, qui primi in oleo j. a. jodum inesse contenderunt et confirmaverunt, Hopferi de l'Orme et Hausmanni (1), quae sententia etiam perscrutationibus a Martens (2), Springmühl, Brandes et Bley (3) institutis probata est; et fuscum quidem oleum jodi majorem continet copiam, quam flavum. Nihilominus nonnulli, qui investigationem chemicam susceperant, illud prorsus negarunt, quorum in numero est Marderus (4), qui secunda analysi olei j. a. jodi vestigium nec in flavo nec in fusco animadvertit; sed multis aliorum virorum in rebus chemicis versatissimorum in-

---

(1) Annal. d. Pharmac. 1837. Bd. 22. S. 170.

Kopp, effectu, quem ol. jecoris Aselli multis in casibus jodinae similem exhibuit, permotus huic medicamini jodinam inesse, suspicatus est, qua re Hopferum de l'Orme, pharmacopolam admonuit, ut pericula in hanc rem instituerit, quae quidem hic optimo cum successu fecerit.

(2) Summarium 1837. Bd. 6, Heft 2.

(3) Archiv d. Pharmac. 1838. Bd. 24.

(4) Hufelands et Osann's Journal. Bd. 84. St. 5. pag. 115.

vestigationibus praeclare est confirmatum, jodum in oleo j. a., quamquam minimam tantum portiunculam, inesse, cui elemento pars efficaciae maxima hujus medicaminis tribuenda videtur. Illustrissimus Koppius dicit haec: Der Erfolg nach Anwendung dieser Arznei bei Kranken dürfte beweisen, dass das darin enthaltene Jod der wesentlich wirksame, und das Arzneimittel charakterisirende Bestandtheil sei. Mag auch nur wenig davon in diesem thierischen Oele sein, so u. s. w. (1). Sed, quum de natura hujus olei chemica jam multi scriptores disseruerint mihique minime sit propositum, de hac tantum olei parte, sed potius de therapeutica virtute, et quidem de vi ejus salutari in pulmonum tuberculosi scribere, jam ad descriptionem hujus virtutis olei j. a. transeam.

II. PARS THERAPEUTICA.

Tam omnibus medicaminibus pinguibus efficacia inest demulcens, quam oleo jecoris Aselli, qui effectus imprimis materiis oleoso-pinguibus, quarum oleum j. a. magnam continet copiam,

---

(1) Kopp: Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis. Bd. 3. Seite 400.

tribuendus est; iisdem materiis etiam incitantur vel augentur functiones hepatis, cutis, renum et tractus intestinorum; nam transpiratio et urinae secretio augetur, alvus leniter solvitur, etc. usu hujus medicaminis longiore. Hunc effectum neque jodo neque aliis materiis, quas oleum j. a. continet, sed pinguibus tantum praestari nihil dubitationis recipit, quum etiam ex usu aliorum medicaminum, nihil aliud continentium, quam oleoso-pringuia, plerumque eadem symptomata videamus. Sed in jodo esse videtur causa, quod oleum j. a. systema glandularum in sympathiam vocet, praecipue autem systema glandularum lymphaticarum et vasa resorbentia. Vis humorum mixtionem et sanguinis mutans olei est magua, tunc imprimis, cum medicamen jam in vitam animalem transiit, ut non raro in dyscrasiis videmus, in quibus perversa est mixtio sanguinis humorumque omnium. Persaepe jam vidimus eventum splendidissimum ex usu olei j. a. in scrophulosi, quamquam minime contendam, jodo tantum, quod olei j. a. insit, hunc effectum esse tribuendum; nam illa, jam supra nominata pinguia, propter efficaciam, quam in totam vegetationis partem vitae exserunt, maximi etiam

sunt momenti in scrophulosis sanatione. Sed ut ad efficaciae modum olei j. a. redeam, mentionem facere me oportet vis resolventis, imprimis in glandulis liquefaciendis, quod sine dubio debetur jodo. Haec vis resolvens praecipua esse videtur causa, quod medicamen nostrum excellentissimum in inveteratis dyscrasiis effectum habeat optimum. Quis est, qui de vi medicatrice olei j. a. in arthritide et in scrophulosi chronicis dubitet? Quum multis medicorum illustrissimorum experientiis haec efficacia olei nostri sit probata, nunc in plurimis horum morborum casibus ab omnibus fere medicis in usum vocatur hoc medicamen. Sed haec de efficaciae modo olei j. a. sufficiant; jam nonnulla de morbis dicam, in quibus ejus usus prae ceteris est indicatus.

In affectionibus rheumaticis et in arthritide chronicis oleum j. a. celebritatem sibi peperit magnam; imo in nonnullis terris usus hujus medicaminis tam vulgaris est in morbis supra nominatis, ut quasi medicamine domestico quisque vir eo utatur. Brefeldius dicit, oleum j. a. contra omnes rheumatismos chronicos tam salutare esse, ut nunquam sive in morbis diuturnis

vel recentibus, sive in iis, qui totum corpus, vel partem tantum afficiunt, medicum decipiat. Sed negat idem, oleum contra arthritidem magnam praestare utilitatem, quanquam ex iis, quae explicavit, suspicari possis, eum arthritidem et rheumatismum saepe confudisse.

In paralysibus, neuralgiis, contracturis ex arthritide ortis, medicamen nostrum effectum habet splendidissimum. Schenkius, qui in his morborum casibus primus commendat oleum j. a., eundem esse credit medicaminis effectum specificum, quem corticis chinae in febre intermittente (1).

Quanta efficacia contra scrophulosin insit oleo j. a. quis est, qui nesciat; est sane remedium princeps, praecipue si glandulae mesaraicae focum sistunt morbi. Nemo, qui remedia

---

(1) Kopp: Denkwürdigkeiten der ärztlichen Praxis Bd. 3. pag. 391. narrat se casum quendam choreae dimidiatae, quae cuique ali remedio resistit, oleo jecoris solo sanasse. Suttinger et Rust oleum jecoris aselli praeclarum remedium commendant contra Ischiam rheumaticam. Rust ait in seinen Aufsätzen und Abhandlungen etc. Berlin 1836. Bd.2. pag. 180: Ich habe der überraschenden und wohlthätigen Wirkungen zu viele beobachtet, als dass ich dem Leberthran nicht eine, zum Theil specifische Wirksamkeit auf die Nerven des Hüftgelenks beimessen sollte.

specifica esse putat, negabit, oleum j. a. prae ceteris omnibus dyscrasiam istam tollere, igitur hoc in casu specificum dici posse, quod Schenkius quoque experientia doctus confirmat. Neque vero omittendum est, et horum, de quibus sermo est, morborum et aliorum, in quibus olei j. a. salubrem vim exspectas, characterem torpidum esse oportere. Nam contra erethismum manu suspensa et cauta tantum adhibetur, et in morbis synochicis non tantum non prosperum, sed perniciosum eventum habere constat. Vim exserere splendidissimam oleum j. a. contra exanthemata inveterata, prae ceteris psorica, certo nemini est ignotum. Richterus, qui hoc loco oleum primus commendat in his morborum casibus, usus est illa olei j. a. specie, quae praeparatur solis calore, dum sponte effluit; sexies vel decies quotidie cochlear majus sumi jussit. Hauff commendat oleum j. a. ad infrictiones topicas contra herpetica ulcera inveterata (1).

Contra Ascarides etiam in usum vocatum est

---

(1) Würtemb. Korrespondenzblatt 1837, Bd. 8. Hauff se infrictionibus olei jecoris Aselli in herpete regionis ingulnalis humido, vehementer pruriente, et omnibus aliis remediis pertinaciter resistente optimum eventum vidisse narrat.

oleum j. a. ab Ratzenbergero, et quidem clysmatis forma; eventus optimus favebat ejus conatibus.

Nunc reliquum est, ut de usu et effectu olei j. a. in pulmonum tuberculosi disseram, quem quidem opusculi mei finem mihi proposui. Quamquam hoc medicamen jam ex viginti annis in usu medico locum tenet non levem, tamen contra pulmonum tubercula ex nonnullis tantum annis, commendationibus Haeseri (1), Alexandri (2), Richteri, Koppii, Pagenstecheri, et multorum aliorum in medicina doctissimorum virorum in usum vocatum est. Quamquam dicere non ausim, tuberculosin et scrophulosin plane eundem esse morbum, tamen quemque mecum consensurum spero, inter utrumque intimam exstare affinitatem, quapropter hoc loco pauca faciam verba. Plures enim oleum j. a. contra tuberculosin atque ex ea ortam phthisin prosperrime se usos esse profitentur. Hankelius paucis quidem, sed sufficientibus, ut ait, edoctus experimentis oleum jecoris Aselli contra phthisin

---

(1) Hufeland's und Osann's Journal d. prakt. Heilk. Bd. 86. St. 1. pag. 103.

(2) Ibidem St. 6. pag. 3.

commendat, negat vero, id medicamen semper certum et in omnibus morbi stadiis salubre esse (1), cum initio tantum tuberculorum progressum cohibeat, et quid morbosi adsit, in integrum restituat. Haeserus, qui constantia magna oleum j. a. adhibuit in tuberculosi plurimisque in casibus perfectam sanationem et radicalem vidit, contendit, oleum j. a. in crudis tantum tuberculis, nondum destructione correptis, seu nondum prorsus emollitis, vel modo emollescentibus, adhibendum esse, tunc autem esse medicamen revera divinum, et superare vi sua saluberrima omnia alia remedia in hoc morbo prius adhibita, imo ammonium muriaticum. Omnia, quae de efficacia olei j. a. ille vir celeberrimus nobiscum communicat, propriis ejus experimentis, in multis casibus probatis, confirmata sunt. Ex triginta et quatuor aegrotis pulmonum tuberculis, quorum de praesentia auscultatione et percussione sibi per-

---

(1) Medicin. Zeitung 1833, N. 49. Hankel sagt dort: »Wollte ich das oleum j. a. als ein unfehlbares, in jedem Falle der Lungentuberkeln helfendes Mittel anpreisen, so würde es gewiss baldiger Vergessenheit nicht entgehen, doch diess ist meine Meinung keineswegs, denn etc.»

suaserat, laborantibus, oleo j. a. multos perfecte sanavit, omnium autem aliorum morbum in meliorem statum convertit. His eventibus prosperrimis commoti alii medici in iisdem casibus oleum nostrum in usum vocaverunt. Alexander perfecte oleo j. a. sanavit aegrotum per multos annos tuberculosi pulmonum laborantem intra quatuor menses (1). Causae, quibus illi medici ducti sunt, ut oleum j. a. contra hunc morbum adhiberent, certo hae sunt: prima enim, quia certo confirmatum est, jodum inesse oleo j. a.; altera autem, quia hoc medicamen in morbis glandularum, et in morbis vegetationis sic dictis, quorum causa assimilatio videtur perversa, excellentissimo cum fructu adhibitum est. Quibus ex momentis facile concludi potuit, medicamen, de quo sermo est, etiam efficaciam contra tubercula pulmonum praestare debere salutarem. Sed alii viri experientia muniti, inter quos prae ceteris Gallicus medicus, Dr. Tauflied, sententiam illorum virorum de oleo j. a., quod ad tuberculosin pertinet, impugnant. Sed vanam esse

(1) Hufeland's und Osann's Journal. Bd. 86. St. 6. pag. 3—11.

illam Taufliedii sententiam, infra adnotatam (1), jam ex iis elucet, quae Haeserus de olei j. a. in tuberculis usu asserit, in crudis enim tantum tuberculis oleum j. a. habere vim salubrem, neutiquam autem in phthisi pulmonum tuberculosa perfecta; idem fere, quod Táuflied judicat. Etiamsi nonnulli medici oleo j. a. illam efficaciam in tuberculosi salubrem verbis derogare conantur, nobis tamen multis experimentis, et quidem ab illustrissimis medicis institutis, persuasum est, oleum j. a. esse remedium in tuberculosi gravissimum atque dignum, quo quisque medicus in casibus aptis utatur. Ex Haeseri sententia apparet, jam post decem vel quatuordecim dies oleo j. a. adhibito symptomata fausta intrare, tussim siccam, qua hoc morbo laborantes praecipue vexari solent, saepe statim desinere, vel certo valde minui, sputa prius copiosissima fieri rariora, tandem prorsus cedere, mox etiam habitus apparere mutationem optimam. Quod ad materiam pertinet, cui haec vis saluberrima tribuenda sit, medici adhuc inter se discrepant. Haeserus exempli

(1) Gacette médic. de Paris 9. Nov. 1839, ubi Tauflied, phthisin pulmonalem tuberculosam perfectam hoc remedio unquam nec in meliorem statum converti, nec prohiberi, quin progrediatur, asserit.

causa jodum tantum habet principium olei j. a. efficacissimum, Alexander autem non dijudicare hoc in discrimine audet, num jodo insit vis in tuberculosi salubris, num aliis olei j. a. materiis (1). Sed si consideramus, infrictiones pinguedinum animalium in thoracem in phthisi pulmonum a multis medicis, famam magnam prae se ferentibus, prosperrimo cum eventu in usum vocari, et pinguedinum quidem, quibus jodi vestigium inest nullum, totum igitur eventum pinguibus tantum materiis esse tribuendum, et si negare nequimus, inter remediorum usum externum et internum exstare similitudinem magnam, vel inter modum, quo utraque efficaciam suam exserant: concedere etiam debemus, materias oleosopingues olei j. a. sub usu interno vim habere saluberrimam, praecipue contra pulmonum tuberculosin et phthisin. Sed medici potius est, experientia et doctrina satis muniti, judicare de hoc casu arduo, meum autem, hac de re judicium suspendere.

---

(1) Hufeland's und Osann's Journal Bd. 86. St. 6. pag. 3. Ubi ait Alexander: »Ob diese Wirksamkeit dem Jodgehalte zuzuschreiben sei, müssen wir dahin gestellt sein lassen« etc.

Impedimentum quoddam, oleum j. a. tempestive contra pulmonum tuberculosin adhibendi, exsistit nobis, nimirum tuberculorum diagnosis initio difficillima (1). Hac ex causa multi medici negant eventum ex usu olei j. a. prosperum in tuberculosi; certo autem contendere possumus, omnibus in casibus, in quibus oleum, de quo disserimus, prospero caruerit successu, aut tubercula jam emollita, tempus igitur usui olei j. a. consentaneum jam praeteriisse, aut diagnosin fuisse falsam. Si autem propter difficultatem, pulmonum initio recte dignoscendi, ab usu in his casibus olei j. a. prorsus abstinere velimus, certo multi credant, nos opinione praejudicata duci. Nam, quum nostris temporibus diagnosis pulmonalium morborum percussione et auscultatione valde sit exculta, etiam sperare possumus, futuris temporibus (utinam verus sim vates) facilem fieri diagnosin illorum morborum saepissime lethalium. Praeterea autem usus olei j. a. in tuberculosi, etiamsi stadium, in quo tubercula emollescunt, jam intravisset, nunquam aegroto nocuit, saepissime vero morbum in meliorem statum vertit,

---

(1) Hankel in der mediz. Zeitung. Berlin 1833. N. 49.

aegrotique vitam prolatavit. Auxilium ergo quoque in casu morbi tuberculosi exspectare licet, ex usu olei j. a.; nam, etiamsi morbum perfecte non sanat, tamen aegroti calamitates sublevare potest.

Sed haec sufficiant de usu olei j. a. in tuberculis ipsis, nunc aliquid de ratione oleum j. a. adhibendi subjiciam.

In eo omnes consentiunt, qui ulla fama fruuntur, fuscum tantum oleum, cum solum jodum contineat, adhibendum esse (1). Sed nihilo minus etiamsi medici fuscum praescripserant, flavum acido sulphurico depuratum in pharmacopoliis venditur. Sed utrumque non pluris adipe suillo vendendum est. Magistratuum igitur est, hunc abusum cohibere et vetare, ne alia nisi fusca eaque sola propter jodum efficacissima species a pharmacopolis veneat, medicorum vero,

---

(1) Kopps Denkwürdigkeiten der ärztlichen Praxis. Bd. 3. pag. 386: »Den ganz hellen, blassgelben (flavum) habe ich, da ich ihm weniger arzneiliche Kraft zutraute, seltener angewendet, doch dürfte er ebenfalls nicht unwirksam sein.«

Hufeland's und Osann's Journal Bd. 86. St. 4. pag. 105. ubi dicit Haeser: »Schliesslich sei bemerkt, dass ich stets den braunen Leberthran anwende« u. s. w.

videre, ne aegroti oleum flavum illud, quo fastidiosius eo, inutilius, sumant.

Si autem usu olei j. a. eventum illum in tuberculosi pulmonum faustum, de quo supra erat sermo, obtinere volumus, opus est, ut idem per longius tempus adhibeamus. Haeserus (1) quidem, atque ut mihi videtur recte, contendit, jam nonnullis ab usu olei j. a. diebus elapsis, symptomata intrare fausta, sed ipse etiam jubet, oleum j. a. per menses tres quatuorve adhiberi, ut sanationem pulmonum tuberculosis perfectam nanciscamur. Eadem videmus in aliis morbis, exempli causa in scrophulosi et in rheumatismo inveteratis. Hoc in casu per primum totum mensem ne vestigium quidem sanationis animadvertimus, longiore autem usu auxilium, quod ex eo exspectavimus, saepissime intrat. Fatendum quidem est, dyspepsiam et alia periculosa symptomata e longiore olei j. a. usu existere posse, et, ut usu continuo idem adhibeamus, digestionis et assimilationis organa integra esse debere, sed, ut ad finem perveniamus, aut per intervalla eo uti, aut medicaminibus corrigentibus vel ad-

(1) Hufeland's und Osann's Journal der prakt. Heilkunde Bd. 86. St. 4. pag. 104.

juvantibus, quibus impediatur, quominus organa illa laedantur, idem conjungere debemus.

Ut odorem foetidum saporemque ingratissimum emendent, varii varia adhibuerunt. Oleum j. a. cum oleo menthae piperitae vel calami aethereo miscuerunt, aut, postquam vinum Hungaricum vel Malacense addiderant, cum Gummi mimosae emulsionem pararunt, in qua elaeosaccharum menthae piperit. solvitur, aut aegroti os aqua fontana vel aqua menthae pip. eluunt, aut oleo j. a. sumto, panèm siccum, vel cibarium vel bistostum, vel saccharum in pulverem redactum, vel rotulas menthae piperit., edi jubent. Haec et multa alia facta sunt, ut usus injucundissimus aliquantulum quidem jucundior fiat; sed, aut uno tantum postremo nominatorum additamentorum utamur, neutiquam autem priorum aliquo, quia, ut videtur, emulsione efficacia olei j. a. minuitur aut quodque remedium adjuvans omittamus, quum paucis ab usu olei j. a. diebus aegroti sine ulla molestia sumere possint.

Si oleum vomitu è ventriculo ejicitur, aut conjunctione variorum remediorum effici potest, ut in ventriculo remaneat tandemque in organismum recipiatur, aut per clysmata applicandum

est, quamquam fateri debemus, hoc applicationis modo oleum j. a. esse minus efficax, quam si in ventriculum recipiatur. Hankelius (1) etiam contendit, oleum j. a. in intumescentia glandularum mesaraicarum et in hepatis indurationibus linimenti forma applicari posse, et, ut odorem foetidum emendemus, guttas aliquot olei lavandulae esse addendas. Sapo ex oleo j. a. paratus ex sententia Hankelii (2) etiam in omnibus morbis hoc in opusculo nominatis est remedium aptum atque efficax.

Quod ad dosin olei j. a. attinet, quotidie duo vel tria cochlearia majora initio viris sumenda imperare possumus, infantibus tria vel quatuor cochlearia minora, et nonnullis diebus post dosin augere licet, ita ut tunc bis quaterve viri sumant duo vel tria quotidie cochlearia majora; eadem ratione infantibus dosis augeatur.

Iis, qui oleo j. a. utuntur, cavendum est, ne cibos digestu difficiles, valde salitos, pingues et prae ceteris acidos sumant, quippe quibus dolores colici et diarrhoea facile oriantur.

(1) Medicin. Zeitung. Berlin 1833. N. 49.
(2) ibidem.

VITA.

Natus sum ego Bertholdus Kuschel, confessioni catholicae addictus, II. m. Martii anni MDCCCXVII, Grottkoviae, Silesiae oppido, patre Sebastiano, matre Barbara e gente Kassner, quos parentes optimos hucusque vivos pio animo veneror. Primis literarum elementis imbutum pater XI annos natum Gymnasii ad St. Mathiam Vratislaviensis disciplinae me tradidit, qua per quinquennium fere usus anno MDCCCXXXIII. Gymnasium Nissense, quod per unum tantum annum frequentavi, tunc Gymnasium Lybzytzense adii. Ad academica studia duos post annos dimissus Vratislaviam iterum

me contuli et ab Ill. Bernstein, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus apud Ill. Betschler, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum, nomen rite professus per septem semestria horum virorum interfui praelectionibus:

Ill. Braniss logicis et psychologicis; Ill. Pohl physicis; Ill. Fischer chemicis; Ill. Glocker mineralogicis; Ill. Nees ab Esenbeck botanicis; Ill. Gravenhorst zoologicis; Ill. Göppert botanicis et pharmacologicis; Ill. Schön historicis; Ill. Purkinje physiologicis et pathologicis; Ill. Henschel de encyclopaedia studii medici et de historia medicinae; Ill. Benedict chirurgicis et ophthalmiatricis; Cel. Remer II. de morbis syphiliticis; Ill. Wendt therapeuticis; Ill. Remer I. therapeuticis; Ill. Betschler et Cel. Burchardt obstetriciis.

In theatro anatomico et in clinicis duces mihi fuerunt Ill. Otto, Benedict, Betschler, Remer I, adjuverunt autem Cel. Schönborn, Köhler, Raymann, Burchardt, Menschig, Nega.

Tempore paschali anni MDCCCXL. Viadrinam cum universitate literaria Berolinensi Friderica Guilelma commutavi, ubi ab Ill. Twesten, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, sub auspiciis Ill. Hecker, ordinis medici t. t. decani spectabilis, huic facultati nomen dedi. Ibidem hasce Illustrissimorum virorum scholas audivi: Ill. Kluge obstetricias; Ill. Osann de fontibus soteriis Germaniae.

Exercitationibus clinicis interfui medicis: Cel. Wolff et Ill. Osann.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, maximas, quas possum, palam habeo gratias, easque in sempiternum habebo.

Jam tentaminibus, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso, coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Zincum muriaticum interne contra ulcera syphilitica est adhibendum.
2. Hirudines circa oculum inflammatum applicandae sunt.
3. Oleum j. a. scrophulosis remedium princeps.
4. Carcinomatis causa est dyscrasia.